

Sammelblatt

07


D. IO. SALOM. SEMLERI,
PROFESS. THEOL. ORDINAR.
SEMINARI REGII THEOLOGICI DIRECTOR.

COMMENTATIO
DE
**VESTIGIIS ANTIQVISSIMIS
DOCTRINAЕ, REDDENDAE
MORTVO VITAE HVMANAЕ,
IN REMOTIORIBVS ASIAE
PARTIBVS.**

EX SINENSIVM COMMENTARIIS.



HALAE MAGDEBURGICAE, EX OFFICINA HENDELLANA.





Quod bonum, felix, faustumque nobis omnibus
sit, animisque nostris sacrum non minus, quam
esse atque haberi olim publica & priuata reli-
gione solebat, festos istos dies & sollemnes vi-
uimus: qui ab ingenti redeuntis in humanam
vitam Iesu Christi, miraculo, spem rerum no-
strarum magnificam, memoriamque perpe-
tuam laeto ad ceteros mortales omine, produnt. Postquam
enim per vniuersam Iesu, Christi, historiam, quae insignia com-
pletebatur promouentis eam dei documenta, publice de eo
constare poterat, dei filium hunc, legatumque sacrum & gra-
uissimum a mortalibus habendum esse; postquam oculis auribusque
redux in lucis huius auram Iesus a multis tanti specta-
culi, variis in voluntatibus, testibus, usurpatus fuerat: amplissima
ca prouincia & sociis Iesu Christi, & amatoribus diuinioris reli-
gionis cunctis, demandata est, vt inter omnes, qui rem tantam
adhuc ignorabant, populos, fidem tam insignis historiae face-
rent, nomenque Iesu Christi, quae est dulcissima formula &
sollemnus, publice priuatimque lubentissime, sine vi atque iniuria,
profiterentur. Paucis verbis Paulus litteris ad Romanos
missis, I, 45. ingentem caussam prodit; consiliumque & inge-

A 2

nium

nium vniuersae historiae ad nos saluberrimum, noua phrasī & grandi significat, νέα περιαγωγή, secundum Spiritum sanctissimae. Nempe, in id hic cuncta consentiunt, vt existat inter homines noua viuendi ratio; vt imbuantur mente sanctiori; vt insit ingenium diuinius, quo iam cuncti animari & agi incipiānt. Paullo post, C. 6, 4 luculentius describit, ἡ οὐσία τοῦ χριστοῦ εἰν αὐτῷ, δια τῆς δοξῆς τοῦ πατρὸς, ἐτῶ καὶ οἵματι εἰν καυνοτητὶ ἔων περιπατητῶν, admonet illa secundum viui Iesu Christi historia, ut & nos, qui de illa inaudimus, vitae nouae studeamus, aliam & longe meliorem agendi, institutorumque omnium ad sanctius consilium, rationem, prae nobis diligentissime feramus.

Praecipuum hoc christianaē doctrinae momentum, quod vniuersam meliorem religionem fulcit, Apostolorum & litteris, & concionibus maxime amplificari solitum, eo maiori studio atque attentione exceptum esse scimus, quo fuit antea magis inauditum atque inusitatū. Non defuerunt quidem inter ipsos illius temporis, quo res illa contigit, Iudeos, qui vulgata opinionum ignobiliora reperta perniciriter tenerent, ne plurium quidem consentiente in publicum testimonium voce ab illis recessuri; magna enim vis esse solet, non solum destinatae improbitatis, quae a proposito se dimoueri non patitur, sed etiam priuatae socordiae, mentisque nihil omnino admirari studiosae, quae in contemptum aliorum praeter se omnium facile vertitur. Itaque non pauci, quia sese praestare ceteris student, vaticinari ipsis, quam quicquam concedere aliorum sensui, speique & metui, malunt; quod ingenium, si consuetudo ad minus atrocia rudimenta accedit, insanabile, propriumque & perpetuum euadit. Vicit igitur & Sadducaeōrum olim plerorumque, & Phariseorum multorum varie opinandi studium & exercitatio, quia contraria erant consilia atque instituta: discipulorum Christi autem ingenuum simplexque de hac historia testimonium; quod illo-

illorum in statuendo consuetudinem, horum apertum flagitium publice & reprehendit & damnauit. Sed amplissimam ad alios, simili & instituta socordia, internoque scelere minus imbutos, illa historia fidem inuenit; non inter Iudeos tantum illius securaque temporis, sed & inter *Graecos, Romanosque*, interque ipsos, qui dici solebant, barbaros: quae gentes & ipsae & perquirendi in rebus veri studium exercitationemque eius multam longo ante tempore p[re]se tulerunt, quam ad Iudeos pertenatorum ab exteris philosophis decretorum fama nomenque & vmbra peruenit. Neque enim negari recte potest, ad Iudeos ab exteris demum incertas instabilesque talium de humanis rebus opinionum traductas esse imagines; quas illi iusto studiosius amplexi variam & parum lepidam philosophandi & decernendi rationem informarunt, magistrorum & diuinorum, virtutissimorum gentique huic priorum, & humanorum, recentiorum, institutionem sive eximie peruerentes. Itaque & istos Iudeos, qui praecipuam venari ex magisterio gloriam solebant, *Graecis, Romanis, Aegyptiis*, aliisque, cultioribus gentibus, ingenium studiumque suum parum probasse scimus: quam ad rem nec *Iosephi* in commentando sollicita vanitas, nec *Pilonis* ostentata de religionis ingenio loquacitas multum profuit. Infeliciter virumque secuti sunt ex *Gnosticorum*, qui audire malebant, familia multi; religiosa garrulitate huius historiae magnitudinem ad alios austuri, quam adaptare subtiliorum hominum salienti ingenio, iusto studiosius volebant. Adeo se se amare solent homines, ut religionem eiusque meliorem rationem non aliam patientiam esse statuant, quam quae a se ipsis autoribus reperta sit & definita.

Longe aliud fuit Apostolorum, magistrorumque christiana religionis institutum; historiam Iesu Christi ad alios, sine additamentis allestantisque suis narrando disseminabant; acta eius & eximia & inusitata, traditae ab illo disciplinae breuis,

simplicis, grauisque & saluberrimae, sigilla, intacta & illaesa ser-
uabant. His enim immutatis, & ad varium opinaturorum ho-
minum ingenium temere informatis, perit ipsis doctrinis, & mo-
nitis christianis omne robur, visque omnis; corruptitur huius
religionis ingenium, transitque in humanum & sollicitum insti-
tutum, quod ex genere ipso *re iugis* excidit. Itaque historia,
fundamentum huius religionis, quater descripta, quia fuit in va-
rias dissitasque prouincias destinata, ad nos vsque peruenit;
apostolorum acta, qui continent liber, historiam Iesu vbiique
prodit & defendit. Epistolae Apostolorum omnes, ad istos
homines scriptae sunt, qui historiam hanc & tenebant & ample-
tebantur: quorum demum viuendi ratio ad eius historiae in-
genium consiliumque exigitur. Exemplum grauitate insita
conspicuum excitamus, ex i. ad *Cerimios* epistolae c. XV, 3. 4.
ex *Desider. Erasmi Paraphrasi*, quae commendari sacrorum lib-
rorum amatoribus, satis vix potest. "Atqui praecipua pars
euangelicae doctrinae est, credere resurrectionem mortuorum.
Qua de re non oportet ambigere, nisi, quod absit, frustra cre-
didistis. Quorū enim attinebat euangelium amplecti, si
quod est huius rei caput, negatis mortuos olim reuicturos? Hu-
ius in primis meminisse vos oportebat, quod vobis in primis
tradidi sermone, nunc literis repeto, quodque vos semel acce-
pistis, nimirum illud, quod dominus Iesus Christus mortuus sit,
suaque morte nos a peccatis liberarit, pro nobis dependens,
quod ipsi commiseramus, quod ita futurum multis ante seculis
scriptura dixerat, ut tanquam ouis ad lanienam duceretur, ut
suo liuore nostris malis mederetur, ut de ligno crucis regnaret
ac diaboli tyrannidem frangeret. Ad haec, quod non solum
vere mortuus sit, verum etiam sepultus, ac tertio die reuixeit,
quod & psum fore, iam olim praedictum fuerat prophetarum
oraculis, quo magis credatis factum, quod per sacros viros deus
fore promiserat. Nam ita loquitur Osee: post biduum & ter-
tio

tertio die resurgemus & viuemus in conspectu eius. Rursus
 David ita loquitur: non derelinques animam meam apud in-
 feros. Adhaec, quo certius crederetis, docui vos, quomodo
 rediuius multis se conspiciendum praebuerit, primum Cephae,
 deinde duodecim illis, & quod posthaec visus sit plus quam
 quingentis fratribus simul congregatis. Quorum plerique vi-
 uunt in hunc usque diem, ne quis addubiter de fidé narrationis.
 Aliquot diem suprēmū obierunt. Sub haec conspectus est
 Iacobo, qui frater domini dictus, primus apud Hierosolymos
 episcopi dignitate functus est. Deinde conspectus est apostolis
 omnibus, non tantum illis duodecim, a quibus primum ortum
 apostoli cognomen in plures deriuatum est. Post omnes au-
 tem & mihi conspectus est, velut apostolo abortiuo, qui post
 maturos partus tandem velut imperfectus foetus, eieetus sum
 verius quam natus. Non queror, quod postremus omnium
 viderim. Magnum est, quod videre meruerim. Nam ego
 sum infimus apostolorum, nec satis dignus, qui dicar apostolus,
 propterea quidem quod persecutus sum ecclesiam dei, quam a-
 postoli constituant. Indignus igitur eram, qui vllus postremus
 in ordinem apostolicum allegerer, sed gratuita dei bonitas me
 licet immerentem hoc honore dignata est, ut, quicquid sum, il-
 lius sit muneris non meriti mei. „ Tot per ora huius historiae
 famam & fidem multas sub oriente atque occidente sole regio-
 nes cito peruersisse, scimus; sed hanc propagatae sustentatae-
 que religionis caussam forte non semper studiosa mente cogita-
 mus. Facile est ad inueniendum, quo magis haec de Iesu
 Christo historia fuit exornata quasi studiosis aliorum opinio-
 nibus atque artibus, eo minus huius religionis seruatam &
 expressam fuisse imaginem, auctoritatē illius certe ad alios
 non parum labefactatam. Insanum illud hominum comminis-
 cendi, augendique rem satis grandem, nouis a se repertis, stu-
 dium, (quod erat ipsorum commendandorum magis quam
 siāden-

suadendae religionis studium,) noua religiosarum ineptiarum semina sparsit, famam integrissimam Iesu Christi, quem ex se suoque prodiit sensu, legem latiri religiosam, multi solebant definire, vehementer laesit, occasionemque opportunam in ipsum proferendae salubris doctrinae impedimentum verit. Antiquitus iam illa peruersitas obtinuit: inuenusta illa sedulitas multo, quam alii facerent, melius & felicius promouendae religionis iam a *Paulo* animaduersa est, inde ab initio prioris ad *Corintios* epistolae; qui & in pluribus epistolis magis de molesto aliorum & praecepiti huius rei studio, quam de alio necessitate pieratis impedimentorum genere conqueritur. Nec dubitari potest, si rerum inter christianos sacrarum historiam ex vetustis tabulis colligimus, sorduisse multis historiam de Iesu Christo non exornatam, non stipatam suis sacris crepundiis, prae adamata consuetudine in exquirenda religionis, quam suauum ibant, meliori materia.

Quemadmodum vero vniuersus cognitionis inter homines, orientis crescentisque varie, status, prouidentia summi numinis singulari numquam destituitur, eaque sapientissime & regitur & mutatur: sic etiam omnis haec religionis causa, ut a Iudeorum variis voluntatibus olim nihil detrimenti passa est: cunctis, quae varie exorta sunt, impedimentis, nihil, quod ad dei attinet consilium, ipsa laesa aut corrupta est, licet ex vulgari opinandi modo eorum, qui sua iudicia de his rebus amant, contrarium statui soleat. Est vero oppido falsum, quod multi sibi aliisque praecipiunt, nullam deo placere ipsius agnoscendi, colendique rationem, nisi quae ipsorum formis, limitibusque iisdem contineatur; nec esse alicubi religionem christianam, nisi sit opinionum de eius partibus consensus; nec eius usum utilitatemque percipi, ubi praeter historiam de Iesu, eiusque salubri ministerio, non existet amplior doctrinarum, quae in christiana causa omnes continentur, descriptio. Non cogi-

cogitant, qui ita sentiunt, omnem varietatem, modo in vnum coeat, de quo nos parum scimus, dei consilio non magis obesse, quam in cunctis opificiis, quae sub sensu nostros varie cadunt. Absit, vt nostram felicitatem semper in aliorum vertamus pia-
culum. Solent quidam amplitudinem vtcunque ad alias varia-
bilem & incertam, in cognoscendo & loquendo definitam,
praecipue amplecti; ideoque, si forte ab alio humanorum ne-
gotiorum nexuunque genere iis vacare, quam aliis, magis licet,
effingendarum similium cogitationum consuetudinem ita con-
traxerunt, vt eo iam minus alios erga deum & Iesum, melio-
ris auctorem pietatis, religiosos flatuant, quo hi sint magis suo-
rum vnicorum exercitiorum expertes. Itaque longe minor
credi singique, propagatae religionis christiana, ambitus solet,
quam illum profecto patere oportet, si ab ista moduli nostri
malignitate mentem abstinemus, deique summam, in admini-
stranda de religionis causa cognitione, sapientiam minus con-
temnimus; quea in ea re maxime eminuit, quod non solum hi-
storiam Iesu, euentibus, rebusque actis simillimam, & ab intima
religionis indeole vix sciungendam, procurarit: sed etiam huius
historiae theatrum in *Afiae* illis paribus esse iussurit, ex quibus
facillima fuit eius ad gentes cultas barbarasque, licet non eo-
dem modo, varia propagatio. Nec hic pauciorum rei ministro-
rum tantum spectanda est sollertia, quos Apostolorum praeci-
puo nomine insignimus, sed & aliorum christianorum, qui vi-
tae alio genere vsi sunt, inusitatamque, ex qua religionis ratio
haec ipsa portenditur, historiam in diffiras longo a *Palaestina*,
*Graecia*que interuallo terras, disseminarunt. Nec inter hos
optimi quique tantum hic recensendi sunt, qui ingenuam dei
colendi rationem ipsis recte sint amplexi, cuius causae ad id ar-
bitrium penes mortales esse nequit: sed & improbiorum chri-
stianorum peruersus religionis vsus ab hac prouincia excludi-
non debet. Quod vel *Paulus* statuit: hoc, illo consilio, Euan-
gelii

gelii ad alios proferantur fines, parum ad rem ipsam interesse, modo Christus nuntietur; nempe ab insita huic historiae, rebusque, quas complectitur, vi & virtute diuina pendere nascen-
tis fructus omnem caussam, non ab interprete; licet hunc pia-
culum sibi ipsi improbe agendo, contrahere, grauiter saepe ad-
moneat.

Igitur, si istam cogitemus traditi Euangelii indolem: fa-
cile fidem nobis faciant vetustissima quaedam, licet obscuriora
sint ab eadem vetustate, monumenta: quae ad disseminatam de
Iesu, eiusque doctrina in *Asiae* remotiores a nobis partes, fa-
mam, pertinent. Atque non videtur sine ratione statui a nobis
posse, eademi sapienti contigisse administratione dei, ut nostris
praecipue temporibus huius generis historica praefidia ad nos
ex Asia peruererint: quibus multorum hominum insignis per-
uersitas id sibi negotii quasi diuinatus, beneque merendi de cun-
ditis hominibusque caussa, datum esse credit, ut christianaе reli-
gionis pristinum, recentemque honorem publice priuatimque
minuant & corrumpant; quae res, quanta sit cum iniuitate
coniuncta, si vel maxime ius & fas humanum audire velint, hic
pluribus declarare nobis iam non licet. Mittimus autem illo-
rum opinionem, qui inter *Sinenses* ipsum *Thomam*, Iesu Christi
Apostolum, eo grauiorem de reduce in hanc vitam Iesu testem,
quo fuit antea ad credendum difficilior, Euangelii caussa versa-
tum esse putarunt. Videntur enim illi, quod est iam a plurimi-
bus, & recentius a doctissimo *LaCroso* obseruatum a), soni si-
militudine decepti, celeberrimum inter *contemplatiuos Sinenses*
nomen, cuiusdam *Tomo*, ad hunc Apostolum transtulisse.
Neque praecepsis institutisque *Foanis*, (hominem *Fo*, *Fo-to*,
Pbout-

a) *Histoire du Christianisme des Indes.* Liv. I. p. 42. 43.

Phoutta, Boudda, appellant b),) dabimus hic operam; quae profecto, si verba & sententiarum modum species, non parum conueniunt, cum Euangelii decretis c), adeo, ut quidam fuerint eruditи viri, qui ea, quae de Iesu, Christo, in Euangeliis narrantur, mutato nomine a Sinenium quibusdam populis & sectis celebrari statuerunt; licet non desit varia sive historia sive fabula, quae hunc Fo, plus quam mille annis ante Iesum vixisse prodit. Illud oppido affirmare audemus, nihil occurrere inter daturam, inde ab Effenorum studiis, Monachorumque destinata, Mysticorum etiam multorum sedula exercitatione: quod non inter multorum Asiaticorum inueniatur praecepta; ut certum sit, si a sacrae scripturae indole & modulo latum vnguem secedamus, commentis nostris & studiis quasi pie magis operatur, iam misceri peregrinam religionem, & contami-nari nostram. Tanti omnino inter est, scripturae sacrae adhaerere, illiusque tramitem, spretis aliorum lenociniis, fide ingenua obtinere. Quem excitauius, Deguignes, in lectione librorum Sincorum, arabicorumque, quos regis Galliae bibliotheca ingenti numero continet, longe versatissimus, postquam praecipuam partem Foanae disciplinae descripsit, ita ipse de ea sententiam dicit d): "Visum fuit maximam partem huius libri, qui est fundamentum vniuersae Samaneorum religionis, transscribere. Eam qui legerint, facile animaduertent, nihil aliud hic inueniri, quam similem Christianismi informatio-nem, qualem primi seculi haeretici christiani instituebant, immisisti Pythagorae de Metempsychose, aliorumque ex In-

B 2

dia

b) vid. *Deguignes histoire generale des Huns, des Tures, des Mo-guls &c.* Tom. I. seconde partie, p. 223.

c) Occurrent excerpta pauca tom. V. *supplementorum ad historiam vniuersam veteris aeu*i**; lectio*n*e huius tom*i* 2. p. 42.

d) loc. cit. pag. 233.

„dia deriuatorum decretorum, simulacris. Posset adeo hic liber
 „referri in numerum *Pseudeuangeliorum* vetustioris illius tem-
 „poris. Omnia τα *Fo* praecepta, si priuatas quasdam excepe-
 „ris ideas, videntur ex Euangelio nostro subiecta esse. Atque eo
 „lubentius in hanc iuerim sententiam, quod in *Sinensi* historia
 „*Iesus*, Christus, nomen τα *Fo* gerit; sive, ut rem melius de-
 „signem, quia *Fo* est illud nomen, quo a *Sinensibus* religionum
 „exterarum, de quibus ad eos venit notitia, auctores solebant
 „affici. „ Quod autem dixerat hic scriptor, *Iesum* appellari
 a *Sinensibus* *Foum*: singulari se dissertatione, quam in *Academia*
 publice recitauerit, euicisse addit. e) *Samaneorum* disciplinam
 proprius describere iam non licet; *exinanitionis* religio audire
 solet, videturque iam ante secundum nostrum seculum, in *Sinam*
 introducta esse. Nomen *Samaneorum* iam *Clemens*, *Alexan-*
drinus, & *Porphyrius* commemorant; vnde satis constat, an-
 te *Clementis* tempora iam celebrem suisse sectam. Quodsi
Deguignes recte *Sinensium* rationes subduxit, de quo, non est,
 quod dubitemus, in *Sinam* ex iis *Afiae* partibus allata fuit illa
 religio, quae sunt magis sub occidente sole, (adiri autem *Indiae*
 regio-

e) loc. cit. p. 233, 234. J'ai cru devoir rapporter ici la plus grande partie de cet ouvrage, qui est la base de toute la religion des Samanéens. Ceux qui jeteront les yeux dessus, n'y trouveront qu'un Christianisme tel que les Heresiarches chrétiens du premier siècle l'enseignoient, après y avoir mêlé les idées de Pythagore sur la metempyscose, & quelques autres principes puissés dans l'Inde. Ce livre même pourroit être du nombre de ces faux évangiles qui courroient alors; tous les préceptes que *Fo* donne, à l'exception de quelques idées particulières, semblent tirés de l'Evangile; je suis d'autant plus porté à soutenir ce sentiment, que dans l'Histoire Chinoise *Iesus Christ* est appellé *Fo*, ou plutôt, que *Fo* est le nom, que les anciens Chinois donnaient aux fondateurs des religions étrangères, dont ils avoient connoissance.

regiones a Christianis iam tum solebant,) regnante Imperatore *Min-ti*, qui ex familia *tau Han* fuit; quod tempus cum anno a nato Christo LXV. coniungitur. Quamquam non defuerunt nouae disciplinae amatores, ministris *Mo-tem & Tco-fa-lan*, qui *Fo-tzum* librum in linguam Sinenium transtulerant: languere tamen paulo post hoc studium coepit, usque in seculi 4ti partem priorem.

Anno Christiano 310 tandem ex *India* venit *Fo-tou-tching*, cui impostoris personam induunt res gestae, ut cum *Tyaneo Apollonio*, a mirorum miraculorum ostentato studio, comparari queat. Nec abest a verosimilitudine, *Apollonium* & ipsum institutorum suorum conquisiuisse appararum ex *India*, ubi christianae historia forma quaedam vigebat. Sed istum *Samanaeum* Sinenium historia luculenter designat, mirum praestigiatorem, qui & ventis imperitare & vniuerso caelo ausus sit. Ad imperatorem igitur inusitati hominis fama peruenit. Is *Che-le* tum fuit, ex familia *tau Heou-tchao*, quos etiam simplici *Tchao* nomine afficere scriptores solent, qui *priores Tchao*, seu *Tcien-tchao*, breviori *tau Han* vocabulo distinguunt. Filium commodum morte immatura perdidera *Che-le*, cui funebria iam sollemnia parabantur. Hic luctui & ministerio lugubri intervenit *Fo-tou-tching*; aquam spargit super mortuum, verborumque quorundam adiumento usus, manumque apprehendens, exclamat, *Surge*: dicto obsequitur mortuus, surgit, inque vitam reddit. Ea saltim fama prodiit fuit tantique specaculi auctor etiam noui Imperatoris, *Che-hou*, maximo fauore usus est; eius autem auctoris disciplina adeo inualuit f), ut homines

f) *Deguignes loc. cit. p. 236. 237.* Tous les peuples se rendoient en foule dans les temples, se rasoient & quittaient leurs familles pour se faire Samaneens. Ces hommes, detachés de tout ce, qu'ils

mines plerique omnes, missis aliis rebus, officiisque & studiis, mundum relinquenter, perfectionemque ingentem sibi proponebant; adeo, ut multa palatia exstruerentur, religiosorum hominum & maioris perfectionis augusta & nitida habitacula; quasi *Benedicti* quidam ordo (est enim inter ipsos Christianos nostros illa opiniois aberratio) jam tum institueretur. Eius autem rei cetera historia alienior est ab instituto nostro, cui breuis ista narratio sufficit.

Est igitur fatendum, quod negari nequit, existare inter *Sinenses*, in populo, qui vel *Athenienses* sapientiae studio, honore & fama vincat, reddendae mortuo homini naturalis vitae fidem; nec sibilo exceptum esse huius non solum doctrinae, sed & historiae adeo instaurandae, auctorem. Qui, si vel maxime fabulam iusit, veritatem tamen christianam, historiamque ipsam illa imitatus est. Idem etsi minus ipse probus ingenuique fuit animi, insigne tamen non insultae adque suadendum omnino aptae doctrinae experimentum cepit, ita, ut in gentem eorum numerum collegerit, qui immutandae segnioris vitae, comparandaeque perfectionis ethicae studium eximiunt, prae se tulerunt.

Sed contrahere nos hanc scriptio[n]em oportet; cuius praecipuum ad VOS, consilium, aestumatiissimi Ciues, hoc ipso, quod proponebamus, argumento inuolutum, breuiter adhuc liceat explicare. Religionis nostrar[um] summa continetur in *Iesu*, Chri-

qu'ils devoient à leurs parens & à l'Etat même, s'éloignoient du monde, ne vivoient que des aumônes, qu'on leur faisoit, & sous prétexte de parvenir à un haut degré de perfection, passoient leur vie dans uneoisiveté, que le gouvernement Chinois ne veut point tolerer, parce qu'ils la regardent comme à charge aux autres sujets.

Christi, vniuersa historia. Est autem illa semper ita arte cum nostra conditione coniuncta, ut hanc nobis fere incognitam, & falso plerumque ab omnibus in mente informatam, facile prodat, istisque ex inusitatis factis declaret. Felices quidem & ii, qui eo ipsi dementiae nondum processerunt, vt rebus his ita gestis fidem negent; sed, cum illa conditio sit tantum minus atrox, quam est quorumdam aliorum, qui, metu pleni, spe omni carent: parum profecto solatii secum fert ea spes, quae est aut leuissima, suisque destituta causis, aut vaga & incerta. Igitur ita vtimini hac historia de *Iesu* secundum viuo, vt satis intelligatis, magnopere opus fuisse vobis hoc vtriusque virae duce, suasore atque auctore; non solum, quod, absque fide divinitus nobis facta & suggesta, permanentis hac vita defunctorum actionis atque status infirma mortalium esse solet spes, aut incerta opinio: sed etiam, quod intercedit aeterna vis & necessitudo inter hanc vitam, atque futuram; quod comparare huins vitae rationem stabilem & iustum, sciungi remotique a Christo, vobis ipsi non potestis. Iam, si eo profecistiis in hac *Iesu*, Christi, salubri disciplina: coniungimini fortiter cum tanto humanae summae felicitatis sponsore. Amplectimini eius omnem & doctrinam & illius grandia promissa; & date operam, vt illis porro non indigni videamini. Sciungamus nosmet ipsos, (*Ernsti* est in Cap. VII. posterioris ad *Corinthios* paululum immutata paraphrasis,) ab omni spurcitie, non solum ea, quae est etiam saniorum iudicio hominum, longe turpisima, & cum corruptione miseri corporis coniuncta, verum etiam animi; quo simul & apud homines, quibuscum viuimus, viuamus innocenter, & deo bonam mentem approbemus, plenamque tandem & perfectam sanctimoniam nobis paremus in aduentu Christi. Contineat interea nos in officio timor dei, qui pro factis hac in vita, praemium cuique hic & olim reponet. Quod si hac ratione animum ipsi impuleritis,

ritis, dederitisque studiose futuris operam publicis sacriss: dubitandum non est, infixum iri animis vestris huius historiae, quam sollemnibus sacris celebramus, magnitudinem, omnemque vitam vestram magis magisque emendari, vobisque & aliis omnibus utilem, iucundam, & felicem euadere. Quod salubre exemplum & ad aliorum proderit insanam, siue ignauiam, siue malitiam: qui nec futuram aliquam curare vitam solent, nec hanc cum aliorum coniungere utilitate. P. P. in

academ. Frideric. d. XIX. Martii


M DCCLXI.




68802




AB 68802





D. IO. SALOM. SEMLERI,
PROFESS. THEOL. ORDINAR.
SEMINARI REGI THEOLOGICI DIRECTOR.
COMMENTATIO
DE
VESTIGIIS ANTIQVISSIMIS
DOCTRINA, REDDENDAE
MORTVO VITAE HVMANAEC
IN REMOTIORIBVS ASIAE
PARTIBVS.

EX SINENSIVM COMMENTARIIS.



MALAE MAGDEBURGICAE, EX OFFICINA HENDELIANA.

